



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Margarita Regina. 10. lunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

364 VITÆ SANCTORUM. 10. Junii.
ille, & dum flagra timuit, puerum scilicet
se probavit esse. Sub hæc, ut tutior inter
plures *Deo* militaret, Camaldulensium
cœtui se junxit, & *S Y L V E S T R O* deinceps
dictus, culinam primò, tum triclinium
curavit, utrumque magno modestiæ, &
obedientiæ exemplo. Orationis interea
perquam studiosus, eam imbibit sapien-
tiam, ut jam Fullonem nostrum velut A-
pollinem doctissimi quique fidei Docto-
res adirent. Sub extremum morbum ite-
rum Christum aspectabilem habuit. Et
cur non oculos *S Y L V E S T R O* ille clau-
deret, ad quem semper illi levavit oculos?
Ex Chron. Camaldul.

Tibi quondam abjecto, tibi extruso à Pa-
radisi sedibus, tibi in pulverem & cinerem
dissoluto potestas data est, ut de longinquo
ad tuum revertarit auctorem, libertus effi-
ciaris ex servo, de extraneo proveharis in
filium. S. Leo serm. 2. de Nat.

S. MARGARITA REGINA. 10. Junii.

C Ape has è *Margarita* Scotorum Re-
ginæ muliebri mundo gemmas, nulli
sexui, nulli ætati indecores. Malcolino
Regi nupta, omniumque titulorum par-
ticeps, nullum cupidius, quam matris
pauperum affectavit, meruitque non in
suo tantum regno, quod liberalitatem
ejus non cepit; quemadmodum neq; dies
in pietatis opera ei suffecit, singulis nocti-
bus

10. Junii. VITÆ SANCTORUM. 365
bus Matutinum, quem vocant cursum de
SS. Triade, tum de Cruce, denique de
Virgine Deiparâ absolvit. Annexuit his
votivas pro mortuis preces, & Davidis
Odaria: quid post hoc pensum somno re-
lictum est? quem tamen ne tum quidem
admisit, priusquam sex pauperum pedes
abluisset. Diem sic auspicata est. Novem
infantulos, quos à suis neglectos matri-
bus educabat pro suis, nutricularum oc-
cupato officio, pascebât cibos ori inge-
rens, & quidem genibus nixa, ut reveren-
tius haberi non possent, si vel cælo lapsi
fuissent. Trecentis aliis, sed adultioribus,
partito cum rege ministerio, cibum infe-
rebat. Tum repetitæ preces utique pene-
traturæ cælum, cum tot pauperum appre-
cationibus sublevarentur. Idem publicè
prodeuntem stipabant catervatim, vile
satellitum; sed ad Superos prefecturæ
percoimmudum. In cuius itineris procin-
ctu cùm semper stetisset, edocta tandem
divinitus est, quando migrandum esset.
Mortua roto vultu erubit. Sensisse plau-
sus diceres, quibus tam rara virtus in cæ-
lo accepta est. Ex Surio.

Septem horarum Canonicarum officia,
quasi septem baptismatum lavacra in Ec-
clesiæ sunt gremio constituta; ut septem of-
fensionum maculas, quas ex quotidiana vi-
tæ hujus conversatione tontrahimus, toti-
dem orationis quotidianaæ fluentis expiare
conemur. S. P. Dam. op. 10.

SS. BA-